



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Jacobi Usserii Armachani Annales Veteris Et Novi Testamenti**

**Ussher, James**

**Lutetiæ Parisiorum, 1673**

Lectori. Beneuole Lector.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14425**

# LECTORI.

BENEVOLE LECTOR,



**R**E M tibi non ingrati fortassis & operæ pretium facturus sum, si te ad Lectionem sacræ hujus Chronologiæ proferantem, quasi ἐν προωλίῳ & vestibulo paucis mœrer; dum nonnulla de Opere hoc Chronologico, & ejus Authore succinctè & quasi compendio explicem. Primo igitur sciat velim benignus Lector, opus hoc Chronologicum Reverendissimi Archi-Præsulis, (annis & meritis gravis, ævo pariter & judicio maturi) conatum fuisse Ultimam. Opus scilicet Viro sancto, & summo Antistite dignum. Regendi enim gubernandique temporis munus apud omnes populos, soli quondam sacerdotes & Pontifices obierunt, ut iisdem (communi naturæ suffragio) & sacrorum cultus, & (rei omnium sanctissimæ) temporis procuratio concessa sit: Igitur apud Babylonios Chaldaei, apud Indos Brachmanes, apud Ægyptios Hierophantæ, apud Romanos Pontifices, apud Britannos Gallosque Druidæ, apud Judæos Sacerdotes popularibus Fastis ordinandis, summo jure præfuerunt. Dum ideo Chronologiæ addiscendæ primulum, mox ornandæ fusiisque & penitus explicandæ operam dedit Vir sanctissimus, rem suo Ordine, & sacrâ Infula dignissimam aggressus est. Quantos autem in Chronologiâ (præsertim sacrâ) dubiisque illis nodisque pene Gordiis enodandis, explicandisque progressus fecerit, ex Annalibus, aliisque scriptis etiamnum editis, ex parte pateat, & ex hoc Tractatu, luce (si quid judico) & æternitate digno, ulterius elucescat. Postquam utriusque Testamenti Annales diligentiam summâ, & judicio æquali condidisset, & bono publico edidisset Infulatus Senex, Tractatum hunc (quem prius sub conditione promissit) seridè aggreditur. Sed dum

*Dumos inter & aspera.  
Scrupulosis sequitur vadis,*  
dum operi inquit, dum Authores omnis ævi optimos revolvit, dum mella sacro hoc alveari recondenda colligit, dum inceptum opus ad Umbilicum perducere festinat, in morbum fatalem, & reipubl. litterariæ damnosum incidit: ex quo decubuit primùm, & tandem fatis cedens, vitæ finem imposuit, sed non ita Chronologiæ. Sic magnus Antistes *Armachanus* in cælum receptus,

---- *sub pedibus vidit nubes, & amena piorum  
Consilia, Elysiumpq; colit.* ----

*V*fferio sic in cælum recepto, Bibliothecam (quam habuit instructissimam) aducunt, Codices (quæ excusos, quæ manu exaratos) lustrant, Chronologiam hanc sacrâ (opus magnum, sed mediis incudibus ablatum) in pluteo repositam inveniunt, cum Viris doctis communicant, de editione deliberant, & tandem à Reverendo Viro, D. D. *Bernard* aliisque rogatus sum, ut Tractatum hunc edendum aliquando curarem. Terruit me primò opus ipsum utpote ab Authore ipso manu ultimâ non elaboratum; Terruit me ipsius Codicis manuscripti scriptura, quem (ut esset prelo idoneus) pulchrè non descripserat, nec secundâ curâ emaculaverat; multa video expuncta, multa passim interscripta, multa (quæ notulis quibusdam signaverat) interferenda; adeo ut labore jugi, & pertinaci diligentia opus erat. Subdubitabam insuper ne his *Meandris* implicatus, satis commodè memet non expedirem, aut doctissimi Authoris mentem non assecutus, luxatos Autographi artus in integrum restituendo non essem. Ex adverso, ad Provinciam (duram licet) suscipiendam, nonnulla me reluctantem animant, scilicet quod *Authoris* manum jam à multis annis familiariter noveram, quod opus ipsum, (extra omnem controversiæ aleam) *γινώσκω* esset, & genuinum, hoc est verè

b Fatis cessit Rigatæ non longe à Londino die Veneris Mart. 21. hora 1 pomeridiana, anno 1655. sive 1656.

---- *Veritatem*

A. Vffer. Chronol. Sacra.

a iij Vfferianum,

1. Eorū que in Sacra Historiæ dispositione ampliore emblematis require videtur. in Chronologia sacra (si vultis) Deus & omnes deorum rationem sunt redditurus. Jsc. Vffer. in Prefat. ad Annal. part. 2.

*Vfferianum*, magno Authore suo, Prelo, & luce dignum; necnon quod à Viris doctis (quà nostris quàm exteris) seriò, & ardentissimis desideris efflagitatum vidi. Exterorum desideria (ut alias non paucas mittam) ex<sup>a</sup> litteris Clariss. *G. Hornii*, Historiarum in Academia *Leydensi* Professoris, ad Doctiss. Virum *S. Hartlibium* datis, abunde discas: quarum exemplar mihi communicabat Vir<sup>b</sup> optimus, non minus virtute suà, & multiplici eaque reconditâ eruditione, quam splendore generis nobilissimus.

<sup>a</sup> Sed nunc vehementer velim, ut inquiras quid factum sit Chronologia Sacra, quam *Vfferius* se editurum in Præfatione *Annalium* promiserat. Quia enim ille Vir omnium accuratissime tempora digessit, damnum Foret irreparabile & conjunctum cum maximo Ecclesiæ & Reipub. detrimento, si Labores illi Chronologici perirent, Haud dubie pleraque à multis annis jam perierunt: Inquire igitur apud hæc des ejus, vel qui Bibliothecam habent, ut illud opus (si ve perfectum si ve imperfectum) reperiat, & ut repositum in Lucem edant. Da operam, (quæso) per amicos, & (si necesse est) implora auctoritatem superiorum, ut editio illius procuraretur. Nullus enim labor est, quo Ecclesiæ magis indigens, & ex quo majorem utilitatem in interpretandis Scripturis, maxime Prophetis, & quæ ad Historias spectant, sperare ausim, &c. Hæc *Hornius*.

<sup>b</sup> D. Robertus Boyle, honoratissimi Comitit *Corcagie* demortui filius, & Superstitis frater.

Quod ad nostras spectat, ut alios (in finitos pene) præteream (quis enim mortalium est, cui cordi sunt humaniores literæ, qui *Ufferii* omnia non deamat?)

Vir magnus & <sup>c</sup> Jurisconsultissimus, (quem honoris, & observantiæ meritissima ergo gratus nomino) Legis Anglicanæ alter *Tribonianus*, de Chronologiâ hac sacrâ sæpe multumque rogabat, editionem Urget, & (ut erat nominis *Ufferiani* amantissimus) schedas à prelo madentes, summo desiderio legendas exposcit, nec minore gaudio transmissas legit. Hæc & consimilia, me ad editionem sacræ Chronologiæ, qua fieri poterat diligentia accurandam animabant, ne periret opus æternitate dignum, nec sine publico Ecclesiæ pariter & Reipub. damno perituum.

Habes igitur (benigne Lector) ἡμεῖς καταλείψαμεν, sacras Reverendiss. Archi-Præfulis reliquias, genuinas illas quidem, sed (quod dolemus) posthumas. In quibus si legenti tibi σφάλματα aliqua & παραρρήματα, si non nulla inconcinna, & minus elimata occurrunt; mihi, correctori, aut Typographo imputetur, & cuius potius quam *Ufferio*; cui si vitam Deus, ille Chronologiam hanc sacram perfectam tibi dedisset & cumularam. Illud tantum addam, (quod de Platone olim dixit <sup>d</sup> Socrates) προσκεῖν ἐπιμιμνήσκω, & πάντα, & τεθηκότες πλάτυναται. Congruum judico, ut sicut *Viro*, ita *Ufferio* mortuo honorem habeas. Vale Lector & his gratus fructe.

